



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Doctrina Theologica D. Gummari Huygens In Quibusdam Speciminibus Exhibita**

**Amstelbeeck, Rudolf von**

**Coloniæ Agrippinæ, 1691**

§. 4. Doctrina D. Gummari Huygens circa liberum Arbitrium Actuum  
humanorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39044**

*Doctrina D. Gummari Huygens  
circa liberum Arbitrium Actuum  
humanorum.*

**U**T in libertatem actuum humano-  
rum involet solertiùs, ita statuit  
in dictatis publicis, de quibus supra  
art. 1. observ. 1. Amor ... beatificus ... rectè  
dicitur esse liber, etiam à necessitate, & magis  
quam ulla actio nature lapsæ, aut hominis in statu  
innocentiæ, aut Angelorum viatorum.

Eadem repetit in dam. Comp. pag. 12.  
in ipso amore beatifico major est à necessitate liber-  
tas, quam in ullo amore Viatoris.

Rursus in dictatis, de quibus supra,  
art. 1. observ. 1. Nulla actio hominis in hoc  
statu nature lapsæ ita est in nostra potestate, ac  
proinde nulla tam justo titulo vocatur humana,  
quam amor beatificus.

Etenim si aliquod bonum ipso Deo melius per  
impossibile existeret: & rursus, si per impossibile  
melius foret ab amore Dei cessare; utrumque in-  
tellectui adeo illuminato promptissimè occurreret;  
voluntas quoque ... promptissimè se ipsam deter-  
minaret vel ad majorem istius boni amorem, vel  
ad amoris Dei cessationem. Ibid. Quia



Quia verò videbat hæc parum confiteri cum communissima libertatis definitione ; ita eam præoccupat in dictatis supra citatis artic. 1. observat. 2. *Objicies fortè, quod definitio libertatis hæc, nimirum potestas ad agendum & non agendum positæ &c. repugnet libertati amoris beatifici : verum in-  
trepidè negamus illam definitionem : neque enim tanta vel authoritate vel ratione nititur, ut eam admittere cogamur : nec etiam adeò benè de Theologia merita est, ut eam vel explicare teneamur : etenim nimium propendet in Pelagianorum, & Semipelagianorum errores.*

Ut hæc magis inculcet, ita profequitur in dam. Comp. pag. 12. *Definitio illa libertatis, potestas ad agendum & non agendum &c. non fuit nota Aristoteli, & cum etiam SS. Augustino & Thomæ ignota fuerit, modò non est necessaria Theologia.*

Quam verò inimica sit tota doctrina hæc libertati humanorum actuum, aliorum judicio relinquo.